

rentur in restitutione Regni Juda, in reparatione Jerusalem, & Templi, in parta Judæis, omnibus exclusis Gentilibus, temporanea tantum & sensibili prosperitate. Tunc, inquit, Messias dispersos per universam Orbis faciem Judæos in unum coetum revocabit; vitâ sanctos in dias luminis auras reducet; Templum excitabit, juxta normam descripti apud Ezechielem. Templi (a). Fines autem Imperii Israelitici ad utrumque mare protensi, iidem erunt qui & universi. Hostes Israelis universi, Christiani potissimum, ultorem Messie gladium sentient. Urbs Jerosolyma gemmis edificata nitēbit, de qua omnes exulare justis morbi, & vulnera; vitâ proinde diuturniore vivent Israelitæ, quanta solent quercus, sive arbores aliæ diuturniores, nempe ad minus pluribus sæculis, quemadmodum ante diluvium, adeo ut, inquit, puer 100. annorum ætate grandis, quasi immaturo funere præreptus parentum lacrymis lugeatur, juxta illud Isaia 65. 20. 22. Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit; secundum enim dies ligni erunt dies populi mei. Populo verd sibi charo faciei suæ aspectu dulcem aded virtutis amorē insinuat Altissimus, ut simul insitam in malum propensionem ex eorum cordibus evellat. Hæc tamen omnia, uti lectores facillè intelligunt, Hebræis favent non Paganis.

Abarvanel (b) decem Messie characteres designat, aptiores ille quidem, quam qui à ceteris Rabbini traduntur, cætero qui tamen gustum populi sapientes. Neque enim usquequaque à fabellis, atque ab insitis Judæis omnibus præjudiciis immunes sunt. Horum primus: oriturus Messias de genere Isai, de domo David. 2. Restitutus prophetiam, quæ à secundis Templi per Romanos everfione in Israele abolita cessavit. 3. Sapiētia illi plus multo, quam cæteris omnibus supet. 4. Modestus erit, sibi imperare sciens. 5. Justitiam colet, ut populi admirationem simul & amorē conciliet. 6. Miraculorum gloriâ coruscabit; oris sui halitu hostes occidet, & administratos ultionis suæ habebit, præter angues & leones, ignem etiam de Cælo demissum. 7. Pacata erit terræ universæ facies, ut perpetuum Sabbathum regnare videatur. 8. Gentes infideles, & Reges ultrò colla eius dominationi submittent. 9. Decem Tribus de dispersione congregata sub Messia coibunt. 10. Quibus facilius reducendis, aquas Euphratis, ut olim Moyfes fretum Idumæum, diffindet.

Hæc postremo loco ab Anthore tradita desumpta sunt de Prophetarum quibusdam phrasis, qui de reditu Hebræorum in captivitate agentes, stilo quodam hyperbolico & figurato per diffusas Euphratis aquas traducturum Dominum populum suum scripserunt (c); quod quidem nunquam ad literam impletum esse, neque ut in futurum tempus impleatur datam spem ullam constat. Quid, quod neque hujus Scriptoris auctoritati ultrò damus manere adhuc in Transeuphratæis ductas olim Hebræorum Tribus? Quam enim potissimum

2 Ex. 6. 41.

b In Is. 53. & Frischmuller differt. 2. de ebraicis. Mess. Item Basnag. histo. Jud. l. 6. c. 26. n. 12.

c Is. 11. 15. 16. & 44. 24. & 90. 2.

regionem, quod Regnum tenent? Nos alibi luculenter demonstrasse confidimus (d), rediisse illas unâ cum Juda, & Benjamin; sensim quidem non eodem simul tempore omnes. Si quid autem reliquum est Israelitarum in iis Regionibus, hoc sanè decem Tribus immeritò appellaretur (e).

Tandem quemnam fidei suæ assertorem laudat Rabbini in iis, quæ de Regno terrestri Messie commentus est? Facile enim asserimus ea, in quibus à nostra ætate, & cognitione remotis neminem habituri sumus refugiatorem. Porro quæ Judæi de Regno Messie in terra ex Oraculis Prophetarum inferunt, hæc Christiani malâ fide reddita contendunt; quare illi præpositè tanquam certum constituunt, quæ in dubium ab aliis revocantur. Potiori nos jure hæc omnia de Regno spiritali Jesu Christi interpretamur; habemus enim ad stipulatores eorum veteres Patres, & Doctores, falsos ea, quæ nos Jesu Christo tribuimus, vaticinia, hæc ad Messiam maximè spectant, hæc ad Messiam in super Jesum Christum jam apparuisse. Quin etiam, nisi malâ illi fide agere nobiscum voluerint, in eo saltem convenire debent, ut Evangelio eum auctoritatis gradum tribuant, quem ceteris veteris historiis. Neque ultra aliquid nos ab illis exigimus, quod ad sensum ostendamus, potiorē esse nostram, quam illorum causam. Vacuam illi præjudici mentem lectioni historiæ Jesu Christi conferant, statimque intelligunt frustra alium ab Israele Messiam expectari.

Verum non eâ tantum nos æquitate indignos censent, sed in tantam proruperunt erga nos audaciam, ut proculs malâ fide de rebus à Jesu Christo gestis historiolas tanquam genuinas vendunt. Ex Patrum relatione discimus, per submissos emissarios id egisse Judæos, ut undique nomini Christiano atrox invidia sub ipsis Religionis, in iis crearetur. Disertabant nempe Discipulos insignes esse impostores, qui Præceptoris sui cadaver suffurati in vitam rediisse illum sparserunt (f). Post eam deinde eam hanc fabellam commenti sunt [g]. Paucera quidam Bethleemi incola, cum puellam viro Jochanan nuptam deperisset, de muliercula corruptâ habuit filium Jesua sive Jesum. Cum verd Pater fugâ se Babylonem præripisset, puer Jesus inter ceteros Discipulos scholam frequentans, in tantum proripuit audaciæ, ut erectâ cervicè caput coram Sacerdotibus aperiret, quod impudentissimi erat hominis æquè ac flagitiosissimi, ceteris velato capite, & vultu sese Sacerdotibus offerentibus. Ita creata de homine suspicio ejus natales explorandi occasionem præbuit; nec diu stetit, quin vitium in apertum prodiret.

Tandem Jerosolymam veniens, nomen Dei Jehovah subripiendi consilio fortim in penetralia Templi sese insinuans intra discissam corporis cutem sanctissimum nomen occultavit. Eo artificio, accedente magice artis peritiâ, geminos leones præ foribus Templi constitutos, ut loci præsidium essent, & tutamen sancti nominis, elusit. Rugiebant illi aded horrendum, ut ne remi-

d In Dissert. de Reduct. decem Tribuum Exechieli præfixâ.
e Dissert. in Regionem quod decem Tribus traducta sunt, ad Paralip.

f Euseb. in Is. 18. 1. Hieron. ibid. Occum. in epist. ad Rom.
g Toledos Jesu vulgatus à Vagenfeilio t. 2. Operis sui Tela ignea &c.

miniscendi quidem facultas de reliquo præ horrore audientibus maneret. Eo, inquam, artificio Jesus vigilem sefellit, statimque se in Patriam conferens, mortuum revocavit ad vitam, leprosum mundavit. Horum miraculorum famâ populi in se favorem aded conciliavit, ut asino insidentem in triumphantis morem Jerosolymam deducerent.

Rerum tum temporis potiebantur Jerosolymis Helena ejusque filius Mombas, sive Hircanus, apud quos agentibus Sacerdotibus delatus Jesus, coram Regina sese sistens, causam suam prodigiorum potius, quam argumentorum persuasione defendit. Ad hæc obstupescere Sacerdotes, simulque quid sibi rei agendum consultare. Tunc de coetu unus Judas in ordinem se illum redacturum dixit, siquidem nomen Jehovah dicere permitteretur, simulque ipsi sibi vellent totum ejus flagitii reatum imputare. Compos igitur ejus rei factus, Jesum aggressus est, atque pronunciatum ab utrisque Dei nomine, tanta utrumque terribilis nominis vis arripuit, ut in aera rapere. Frustra Judas præcipitem agere adversarium diutius molitus, tandem mingendi super illum consilium arripuit opportunum. Nec mora, uterque foedo humore pollutus concidit. Jesus actutum ad Jordanem volitans, ejus aquis lotus expiatusque, iterum virtutem suam exeruit. Quare cum frustra in adversarium prævalere Judas tentasset, fraude, quod vi non poterat, sibi obnitendum proposuit; namque in ejus partes transisse se simulans, illum tanquam discipulis unus perpetuo comitatus, quæcumque ipse faceret, omnia Sapiētibz prodebat. Accidit igitur, ut Jesu fortè ad Templum se conferente, unâ cum Discipulis omnibus, ab adversariis omnes caperentur, ac continuo marmorea columnæ in urbe erectæ alligatus Jesus, flagrorum animadversioni subjectus est, tum & spineâ coronâ temporaria circumdatus, aceto in siti potatus, tandem capite damnatus à Sanhedrin lapidibus confectus occubuit.

Defunctus post hæc corpus in lignum agendum erat, juxta receptum Hebræis morem, sed lignum antea ab ipso Jesu, qui genus mortis suæ præviderat, magicis quibusdam excantationibus per nomen Jehovah paratum, confectum subito concidit. Continuo Judas ex horto suo ingentem, aliquem clavum detractum affigens parieti, defunctum viri corpus appendit. Veritus autem ne discipuli illud suffurati resurrexisset palam dicerent, ipse clam de tumulo subductum in alveo quodam torrentis, factâ prius aquarum diversione, ac deinde pristino illis cursu restituro, occultavit. Accidit nihilo scius, ut non invento corpore statim fama resurrectionis illius longè latèque spargeretur. Hunc rumorem credulis auribus excipiens Helena Regina, Filium illum Dei declaravit; sed Judas proterviam Discipulorum Jesu depressurus, cadaver illius de læbris eductum exposuit, ac caudæ equi alligatum ad usque Regine palatium raptatum curavit. Tunc avulsi

defuncto crines; cujus rei causâ Monachi abrafo capite incedunt. Nazaræi atrocem hanc ignominiam iniquè ferentes, diversione factâ à Judæis desciverunt.

Ludrica hæc historiola legitur in Sepher Toledos Jesu, qui sanè titulus imitatione quadam Evangelio S. Matthæi respondet. Liber generationis Domini nostri Jesu Christi. Porro regnasse ætate Jesu Christi Jerosolymis Helenam & Mombam, eâ, qua cætera, fide Author asseruit. Nunquam enim auditus sunt Jerosolymis Helena & Mombas Reges Judæorum, quamquam Helena Regina Adiabenerum, & Izates sive Mombasus ejus filius venisse Jerosolymam, aliquandiu post obitum Jesu Christi legantur. Judæi natalem Jesu Christi annum ad A. M. 3671. sub Alexandro Jannæo consignant, & Reginam Helenam 150. annis serius sub Claudio venisse Jerosolymam constat.

Extat alius Liber eodem titulo Toledos Jesu, vulgatus à D. Huldrico anno 1705. in quo magis ad fidem Evangelii expressa legitur historia, non tamen fine anachronismis, & mendaciis. Tempus nati & mortui Christi sub Herode Magno consignatur, ad quem delatam narrat accusationem de adulterio Pantheris, & Mariæ Matris Jesu. Ejus rei furore, simulque dolore de fuga Pantheris percitus Herodes, in Bethleem actutum se conferens, omnes ejus regionis infantes ultore gladio trucidandos edixit. Præceptor Jesu statuitur Josue filius Perachie, quem Akibas instituerat. Porro Akibas sub Adriano, integro post Christi obitum sæculo florebat.

Author sub nomine Jonathan coævi Jesu Christo & Jerosolymæ agentis vulgatus, narrat, Herodem Magnum consuluisse, quid factu opus esset cum Jesu Christo, Patres Vormaticenses, tum temporis per subjectam Cæsareæ regionem dispersos. Quam ineptus, Deus bone! Addit, Herodem ejusque filium exercitum duxisse in Discipulos Jesu continentes sese in deserto Judææ, quo loco vicus Hai spectatur. Jesum Christum ejusque imaginem, sicut & Mariæ parentis ipsius, colebant. Porro Scælatores illi Jesu, supplicias rogarunt adversus Herodem filium à Rege Cæsareæ. Quis, rogo, iste Cæsareæ Rex sub Herode filio? an aliquis Germaniæ sive Palæstinæ Princeps? Nihil ex historia discimus.

Alterum adversus historiarum Judaicarum fidem argumentum ex eo ducitur, quod immane inter se discrepare intelligantur. Namque historia per Vagenfeilium vulgata vitium natalium Jesu Christi à Sacerdotibus proditum narrat; altera verd per Huldricum, ab Herode primùm, deinde ab Akiba deprehensum tradit; Akibas enim Sacramento quodam dolofo, summis tantum labiis concepto, arcanum de Mariæ parente Jesu subduxit. Addit, Jesum post deprehensos furtivos ejus natales calvitio damnatum fuisse; quod ille ferens iniquis, pravam doctrinam diffeminandam suscepit. Desiderantur hæc omnia in altera historia,

ria, quæ vicissim maleficiorum scientiâ peritissimum Jesum prodit, & furtim subduâlo nomine Domini miraculis pollentem. Subinde historia Huldrici addit, semel statuto capiendi Jesum consilio, Judæos apud ejus hospitem pecuniâ corruptum egisse, ut medicatum illi vinum præberet, quo nominis ineffabilis oblivio induceretur; neque enim aliter in adversariorum potestatem venire potuerat. Ad eam rem cœlitus impetrandam, decretum solemne Jerosolymæ jejunium, specie quidem divinæ opi impetrandæ pro bello, quo Israelitæ ab infidelibus Regibus premebantur, revera ut à metu viri populus liberaretur.

Cum igitur Jesus Christus die Propitiationis convivium habuisset cum Discipulis, eo potu medicato vino, in adversariorum manus incidit. Dilatum ejus supplicium à Rege usque ad Festum Paschatis, cujus temporis interjecto spatio missi per universum terrarum Orbem viri, si quis vellet rei patrocinium suscipere, ut coram Senatu se sifteret, invitarunt. Consultum eâ de re Sanhedrin Vormatiense, non quidem supplicio perimendum, sed arcto & perpetuo carceri tradendum Jesum censuit. Regi altera fedit sententia; quare in crucem actus Jesus, supplicio absumptus est. Porro quo tempore Jesus Christus occidit, nullum fuisse Jerosolymis Regem tam certum est quam quid aliud. Sed Judæi æquè omnia minora habent odio & invidiâ in Christianos. Historia Vagenfeili captum Jesum à militum manu statim post Festum Paschæ commemorat; à quibus scilicet militibus partim in fugam actos Discipulos Christi, partim occisos addit; tum verò lapidibus damnatum Jesum Sanhedrini sententiâ.

Nimius essem, si omnes æquè Judæorum eâ de re fabellas congererem. Qui eumque illarum refutationem voluerit, adeat Authores eam rem prosequutos, sive integras eas historias legat vel saltem earum epitomen, additâ eorum refutatione per Basnagium hist. Jud. l.6. c.28. Nos hic satis superque ducimus, si generatim aliqua animadvertantur in ideam, quam de Messia formarunt Judæi, sicut in calumnias, quas falsis rumoribus ubique de Jesu sparserunt. Ex his enim spiritus illorum dolosus & mendax satis superque convincitur.

Si Messie characteres accipites sunt & ambigui, si tempus pro ejus adventu præscriptum defluxit, quod illorum sententiâ certum est; quæ illis hodie spes eâ de re superest? Venturum nequam confident, si factæ de illo promissiones à certis quibusdam conditionibus, nempe à prænitidine, & respicientia populi pendent? Sive Patres eorum errare contigit in eo, quod sibi formarunt, de Messia systemate, atque in sensu Oraculorum ad Messiam determinato; sive planè Judæi recentiores sal-

luntur, alios tribuentes Messie characteres, aliam de illo menti inducentes ideam. Porro in re tanti momenti instabilis illa & minus inter se constans gentis opinio nonne reprobationis, & cæcitatibus Judæicæ argumentum est apertissimum? Quid sibi expectandum sit, planè ignorant; sive ipsi, sive Patres eorum in errore versantur. Si eorum sententia obtineat, actum est de Prophetarum Oraculis; si falsitatis convincatur, Jesus Christus verus est Messias.

Porro erroris hujus universi duplex est causa, dolus nempe, & ignorantia. Ejus, qua gens universa laborat, ignorantia in tota hac Differtatione argumenta passim exhibuimus. Frustrâ apud illos quaeras historiam paulò diligentius expositam: frustrâ petitem integrâ fide ex historia veteri documentum. Eorum doli & fallendi spiritus, in historiis, quas de Jesu Christo procederunt, si aliâ uspiam, elucet; quibus tamen ne rudioribus quidem imponeretur, ad eâ illa fraudem suam in apertum produunt. Nec ipsi quidem suis hisce artibus caperentur, nisi major esset cordis in malo pertinacia, quam spiritibus errandi consuetudine cæcitas. Quæ verò insignis est gentis pervicacia & incredulitas, eadem demum accepto ignorantia & nequitia ipsorum referenda. Quis, rogo, eos homines omni destitutos scientiâ & probitate ad bonam frugem reduxerit unquam? Quis argumentis illos revineat, cum nec apertissimâ veritate moveantur, neque absurda quæcumque objeceris, insigniter solidos terreat? Rerum turbata series, insignes anachronismi, putida mendacia, fabellæ vix ac ne vix quidem sibi constantes, omnia hæc veritate sancta sunt apud ipsos. Apertissimos Scripturæ textus detortis interpretationibus corrumpunt; cum interim pronas & simplices rejiciant. Si quid illis Patrum suorum autoritas negotii fecerit, eam continuò toto abjiciunt animo; si quid nobis res aliqua favere videatur, statim illi sive in dubium revocant, sive è genuina sententia mentem advertunt.

Ex his autem, quæ huc usque deduximus, satis intelligere æquis Lectoribus dabitur, oppanso ante lumina velo infelicem hanc gentem in tenebris versari (b); nihil demum esse totam Hebræorum religionem, quàm pervicaciam & obstinationem; reapse nunquam amplius ab illis venturum Messiam expectari, nullam illius ideam luculentam servari, nihil tandem credi nisi corruptum, nihil sperari nisi quod terrenum sit & carnale. Frustrâ illos ad spirituales sensus elevaveris; parique de Regno Messie concipiunt ac Mahometes de Paradiso. Aperi, queso, Domine, obducta infelicium lumina, ut per totam terræ faciem consuecant lucem agnoscant: aufer cor lapideum, & da illis cor carneum.

h 2. Cor. 3. 15

DISSERTATIO DE RECHABITIS.

Parcè admodum Scriptura de Rechabitis: sed satis illa, ut sublimem de gente ideam concipiamus. Genus erat hominum frugi & modestum, duris se inediis, fugâ ab hominum consortio, rerum omnium abdicatione exercens. Vitam agebant agrestem sub tentoriis, neglectis Urbibus & hominum commercio; sine latifundiis, sine domibus, sine certis sedibus. Habebantur ab omnibus tanquam Prophetarum imitatores, eorumque demum exemplar Essenii & Therapeutæ apud Hebræos, ac solitarii apud Christianos sectati sunt (a). Quem intimo corde fovemus, amor pro eo vitæ genere, cui nos sumus addicti, amore prosequi nos pariter jubet omnia similitudine quadam ad ipsum referenda. Gloriosum est nobis, si in eo quod Sanctissimum est & illustrissimum in Veteri Testamento, in Elia, in Elisæo, in filiis Prophetarum, in Rechabitis, in S. Joanne Baptista originem instituti nostri & primos nostræ professionis Patres agnoverimus.

a Hieron. ad Paul. ep. 13. Noster Princeps Elias, noster Eliseus, nostri Duces filii Prophetarum, qui habitabant in agris & solitudinibus... de his sunt & filii Rechab, qui vinum & siceram non bibeant. b Theodoret. 1. Par. int. Vide 1. Par. 2. 55.

c Hegesipp. apud Euseb. hist. l. 2. c. 23.

d Vide Sanch. Corn. ad Jerem. 35.

tur, veluti Gabaonitæ (e). Nathinæi (f), cæterique vocati filii servorum Salomonis (g), quos sanè constat secunda à Sacerdotibus & Levitis ministeria obisse, veluti ligna & aquam comportandi; id tandem agebant in Templo, quod mancipia in privatorum Aedibus.

Rechabitis tamen præstantius erat quam Gabaonitis & Nathinæis ministerium, quippe qui concinendis laudibus Divinis occupabantur (h), nunquam tamen nisi secundo à Levitis & Sacerdotibus gradu. Quæ tamen à me dicta sunt, juxta fidem Vulgatæ & plurium Interpretum, legentium: Canentes atque resonantes atque in tabernaculis commorantes. Hi sunt Cinai, qui venerunt de calore Patris domus Rechab. Hebræus quidem commodè eum sensum pateretur. Verùm Interpretes alii reddunt (i): Ostiarii, & in obsequiis manentes, id est famuli, atque in tentoriis commorantes. Hi sunt Cinai, qui venerunt de Chamath, patre domus Rechab. Quamquam enim ostiarii munus Leviticum erat (k), poterant tamen secundo ab illis gradu alii etiam destinari, ut in publicis solemnitatibus prioribus hisce ministrarent; scitum est enim, & nos supra insinuavimus, plures fuisse in Templo secundo à Sacerdotibus & Levitis gradu ministros. Ita e.g. Samuel Ephraimita (l); Anna Prophetissa à tribu Aser (m); Gabaonitæ & Nathinæi, qui ab Israelitis origine alieni è Chananæis derivabantur (n). Hi omnes in Templo suo singuli ordine ministrabant.

e Josue. 9. 27. f 1. Par. 9. 2. g 1. Esdra 2. 43. 58. 70. h 7. 7. 24. i. Esdr. 2. 55. 58. i. Esdr. 7. 57. 60. & 11. 3.

h 1. Par. 2. 55.

i 1. Par. 2. 55. Thirathim. Schimaim ju chathim. k 1. Par. 9. 17. l 16. 38. m 23. 5. & 24. 6. n 2. Par. 8. 14 & 22. 19.

o De Eccles. ante Legem l. 3. c. 16. pag. 472. & 473.

p 4. Reg. 1. 14.

q 4. Reg. 13.

r 14. uphu.

Autumârunt alii Levitas esse, vel etiam Sacerdotes (e), ex illo nempe Jerem. 35. 19. persuasi: Non deficiet vir de stirpe Jonadab filii Rechab stans in conspectu meo cunctis diebus. Ex Rabbinis quidam suspicantur, Rechabitas jure connubii cum filiabus Sacerdotum, sive Levitarum conjunctos, liberos genuisse Templi servitiis tanquam veros Levitas addictos. Quæ si vera sint, oportuit sanè, ut singulari quodam privilegio Rechabitæ ad sacrum munus admitterentur; nihil enim ad eam rem conferebant, quod è matre Levitici generis prodissent; Patrem enim Sacerdotem seu Levitam habere opus erat.

Visi sunt aliis (d) servitiis Templi addicti Rechabitæ, ut inferioribus à Sacerdotibus & Levitis ministeriis occuparen-